



Laudatio funebris in
Johannem VI , Lusitaniae
regem fidelissimum et
Brasiliae imperatorem,
habita in sacello vaticano 5
[...]

Ms. O. n.
424






A 2889
B

02

424





IOHANNES VI.

Lusitaniae Rex et Brasiliae Imperator

LAUDATIO FUNEBRIS
IN IOHANNEM VI.

LUSITANIAE REGEM FIDELISSIMUM
ET BRASILIAE IMPERATOREM

HABITA IN SACELLO VATICANO

V. KAL. IULIAS AN. M·DCCC·XXVII.


AD LEONEM XII. P. M.

AB ANGELO MAIO

SANCTISSIMI DOMINI PRAELATO DOMESTICO

VATICANAE BASILICAE CANONICO

ET BIBLIOTHECAE PRAEFECTO.



R O M A E
TYPIS VATICANIS
M·DCCC·XXVII.

IN JOHANNEM VI.
EVANGELIO FUNEBRIS

IN JOHANNEM VI.
EVANGELIO FUNEBRIS
HABITA IN SACRILEGIA
ET ALIA ET ALIA ET ALIA

AD LEONEM XII. P. M.

AD LEONEM XII. P. M.
EVANGELIO FUNEBRIS
HABITA IN SACRILEGIA
ET ALIA ET ALIA ET ALIA



IN JOHANNEM VI.
EVANGELIO FUNEBRIS



THE DEPARTMENT OF
THE ARMY
WASHINGTON, D. C.



PETRVS I.

Boisilac Imperator.

P E T R O I.
BRASILIAE IMPERATORI
ET DEFENSORI PERPETUO

PIO FELICI AUGUSTO


ANGELUS MAIUS

Laudes funebres, AUGUSTISSIME IMPERATOR, magni Patris tui Lusitaniae regis fidelissimi, quas audiente LEONE XII. Pontifice maximo, sacroque Cardinalium collegio, in vaticani palatii sacello nuper dixi, caesareae Maiestati tuae non mittendas solum verum etiam reverenter inscribendas putavi. Cuius consilii mei illa potissima causa est, quod in religiosis politicisque ornamentis,

quibus inclytus Pater tuus tantopere abundavit, Tu CAESAR, praecipuum locum obtines, qui olim exemplis eius praeceptisque formatus, nunc fama atque splendore virtutum tuarum non Te solum, sed paternum quoque nomen, in utroque orbe collustras. Profecto rex Parens tuus, quanti Te faceret, et quam bene de imperio tuo praesentiret in posterum, tunc maxime demonstravit, cum ut ab omni periculo prohiberet rempublicam, Brasiliae Te rectorem aliarumque trans oceanum terrarum, se absente, constituit. Populorum autem regimini tuo commissorum studium erga Te eximium atque amor cluxit, cum Te imperatorem et caesarem, novo in regionibus istis exemplo, acclamaverunt: qui titulus et honorem maximum lusitanae gentis fastis adiungit, et regalibus tuis virtutibus convenientissimus fuit. Etenim sublime Tibi et erectum ingenium est, summus animi vigor rebus ingentibus par, civilis animus, obvia comitas, prompti aditus, oratio benigna, vultus qui regiam maiestatem hilaritate temperat. Res autem gestas tuas quis breviter recensere queat? qui novum ac spatiosissimum imperium prudentis-

sime composueris; iudicia et ius constitueris; senatum amplissimum et consilium publicum legeris; ministros idoneos tibi adsociaveris; florentem exercitum conscripseris; classem non modicam aedificaveris; bella fortiter gesseris; aera-rium regium, in quo sunt nervi reip., instruxeris; brasiliensem metropolim pulchris operibus exornaveris; commercium maritimum explicaveris; agri culturam convocandis undique colonis, imprimendis etiam herbariae doctrinae splendidissimis libris, auxeris: quod studium eo est in Brasilia commendabilius, quia nulla fere alia in America regio tot generibus florum ac fructuum delectabilis aequae videtur. Quin adeo tam vasti imperii fines coepisti pedibus ipse tuis peragraré, oculis contemplari, voce populos alloqui; ut velut alter Hadrianus nullam prope-modum provinciam vel urbem habeas subditam, quam praesens non cognoveris. Sequitur litterarum et artium cura, qua primum legibus decretum est, ut doctrinarum rudimenta gratis cuique brasiliensi civi tradantur: deinde destinata sunt litteris scientiis et artibus excolendis collegia atque athenaea. Atque ut novus vester orbis doctri-


nam nostri veteris citius arripiat, permultos lectae spei adolescentes in Europam publicis sumptibus alendos misisti, qui omni genere eruditionis imbuti Brasiliam deinde magistri reptant. Patris igitur tui expectationem, quam de Te plurimam habuit, longe superasti: cui nunc extincto utinam eloquentior, quam ego sum, contigisset laudator! Sed quia is iamdiu, propter sua eximia erga Deum hominesque officia, traductosque per omnem virtutem mores, commemorationem nominis sui cum omni posteritate adacquavit, sequitur ut oratoris infirmitas nihil de tanti Principis gloria deminuere possit. Mihi certe periucundum fortunatumque est, quod hoc tenue devotissimi animi mei documentum erga Te, IMPERATOR, tuamque domum augustam exhibeo; meque ut in regium patrocinium tuum clementer digneris recipere, reverentissime rogo. Sic tibi Deus quietum longae-vumque regimen cum summa omnium gratulatione largiatur!





ISABELLA MARIA

Johannis VI. regis Phil. et Petri I. Imp. Conr.
Regni Lusitaniae Redric.



ORATIO

INCLYTAE gentis Regem optimum quo facilius laudare est, eo difficilius fortunam eius variam virtutesque innumeras brevi, ut mos est, sermone complecti. Quum ergo plurima dicendarum rerum copia circumventus sim, magnopere vereor ne clarissimi Regis meritis desim; quae si paulo disertius exponere velim, mirum quantum diffundetur oratio mea, quamque ubere varietate frondescet. Sed quia Tu, BEATISSIME PATER,

quem singularis Dei providentia christiano orbi pastorem praefecit, decessorum tuorum exempla secutus, tuoque ipsius animo obsequens, tanto Principi tamque bene de ecclesia et de civili republica merito, iusta funebria indixisti; laudatio quoque sollemnis peragenda est, regioque argumento pro ingenio oratoris ac tempore satisfaciendum.

PARS I.

IOHANNIS VI. Lusitaniae, Brasiliae, aliarumque late terrarum regis prima laus est regina Mater, quae religiosis politicisque virtutibus abunde instructa tot populos diu gubernavit; sed nihil aeque studuit, quam ut Filium; cui tutelam lusitani nominis traditura erat, maternorum exemplorum aemulum redderet; eoque exquisitissimis curis educato, imperii sui felicitatem confirmaret. Egregium sane prudentis Matris consilium! nam qui regem recte instituit, is brevi compendio universam reimp. bene componit: siquidem rex, quemadmodum animum suum excoluerit, ita ferme et regnum habiturus est: regia vero institutio nonnisi teneris annis fieri potest; etenim princeps potestatem adeptus, sine ullis plerumque admonitoribus vitam exigit. Curavit igitur regina

Mater, ut filius heres purum se religioni divinae et iudiciis hominum exhiberet, dignusque videretur qui tam lati imperii fata susciperet: quandoquidem reges apprime decet omnium mortalium esse optimos; ita ut quanto ceteris honore antecellunt, tantumdem virtutibus eosdem superent. Sic olim diva Pulcheria fratrem Theodosium, sic Maria augusta Constantinum porphyrogenitum, sic Blanca Ludovicum gallum, religione simul et humana doctrina diligentissime informaverunt: quae duae res quum hominem ferme regant, vincit tamen doctrinam religio; etenim religio necessarias res postulat efficitque; litterae autem quid faciendum omittendumve sit tantum demonstrant: et vana saepe est philosophi oratio, quia nullis animi morbis medetur. Quod si ad sinceram religionem abundans doctrina accesserit, nihil iam principis institutio desiderabit. Saepe igitur curatum est, ut regios alumnos religiosi doctores educarent. Mitto Ioiadam hebraeum pontificem, qui teneram Ioasi regis aetatem erudiit. Mitto levitam Philonem, cuius de reip. rectore opusculum legimus. Mitto Chaldaeos, apud quos regius heres magorum sapientiae excolendus semper est traditus. Constantini, chris-

tianorum principum primi et maximi, splendidissimum hac in re quoque exemplum est; qui Crispum filium non ethnicis philosophis, quorum tum infinitus erat numerus, sed Lactantio religiosissimo erudiendum commisit; homini scilicet, qui tanta eloquentia nostro dogmati patrocinator est, ut ei christiani Ciceronis titulus merito adhaeserit. Nonne vero extant christianorum sacerdotum classicae de regis institutione lucubrationes? En ad Arcadium caesarem praecepta regnandi Synesius episcopus misit. Agapetus diaconus aurea monita Iustiniano composuit. Sanctus quoque Ambrosius ad Fritigildem reginam puerilem catechismum scripserat, quem librum amissum dolemus; et Gratiani etiam Valentinianique minoris iuveniles annos monitis rexit. Carolus magnus Alcuini monachi voci erudienti paruit. Nonne episcopi Ionas et Hincmarus Pipinos, Carolos calvos, Ludovicos, doctis scriptis admonuerunt? Quid item episcopi Photius atque Theophylactus? nonne hic Constantinum Mariae aug. filium, ille bulgarum principem Michaellem, prudentissimis libris ad virtutes politicas cohortati sunt? Quin etiam monachi tres, Hugo, Nicephorus ac Theodulus Henricum anglum, Lascarim

iuniorem graecum et Andronicum palaeologum, luculentis tractatibus erudiverunt. Immo vero longe antiquiores Arsenius et Cassiodorus, quorum uterque deinde monachus fuit, ille liberis magni Theodosii, hic gothici Theodorici nepoti atque heredi, consilio scriptis et opera adfuerunt.

En igitur Iohannes princeps, qui tot populis in quatuor orbis partibus propediem imperaturus est, nunc sub rigido morum magistro Matthia monacho, in coenobio Maphrae, cereus discipulus et obedientissimus adolescit. Nulla dies est, qua non ad aram operanti magistro adsit: huic omnes conscientiae latebras aperit: ab hoc regalis, id est paterni, regiminis praecepta audit: ab hoc vitiorum implacabile odium discit, virtutisque amorem sempiternum.—Virtus est, vitium fugere, et sapientia prima.—Nec raro videre erat adolescentem regium ingenio acerrimo, memoriae vi admirabili, doctrina multiplici praeditum, inter pios religiosorum choros divinas laudes canentem, templis adsiduum, omni munere divini famulitii religiosique cultus fungentem. Neque illud reticendum est, quod ipsam latinam linguam idcirco didicit, quia sermo is proprius religionis est, atque ut sacram psalmodiam non

recitaret solum quotidie verum etiam intelligeret. Quibus exercitiis tam altas in eo radices religio egit, ut aegrius quispiam hunc iuvenem a sua virtute, quam solem a consueto cursu detorsisset. Politicam vero scientiam tum a sapientium pragmaticorumque virorum consortio, quibus aula abundabat, Iohannes hausit, tum etiam a libris optimis, quorum semper lectionem avidissime expetivit; obsecutus, ut reor, phalerei Demetrii dicto, qui Ptolemaeum de legendis politicorum libris admonuit; quia quidquid reges viva vox docere non audet, id eis scripta volumina liberrime occinunt. Iam ut bonis libris adsiduum studium alumnus regius impendit, sic a pravis semper abhorruit; quorum mendaciis tot incauti iuvenes credunt, capti orationis ornatu. Atqui satius prope est nullis litteris imbui, quam in quorundam philosophorum, qui de regnandi arte scripserunt, perversis doctrinis et lubricis periclitari, quae nedum regem ad iustitiam instituunt, sed officium omne subvertunt.

Sed enim nusquam fere Iohanni principi maiora virtutum gerendarumque rerum exempla quam ex historia patria atque ex regum lusitanorum vitis discere licuit. Nam verissime dici po-

test, nullam esse nationem, quae tam brevibus regionis finibus tamque mediocri populi numero, tot praeclara facinora ediderit, tot maria decurrerit, tot tamque ampla regna obtinuerit, tot victoriarum palmas in patriam reportaverit. Novi ego laudatos a scriptoribus plurimis Lusitanos: sed tamen ut in pelago immenso tantum quisque, quantum videt, miratur; nemo neque fines eius neque sinus omnes opesve innumeras lustrare oculis vel cognoscere potest; sic de Lusitanorum expeditionibus quis umquam instituit immensa dicere, qui minora veris non narraverit? Siquidem tot gentes atque regiones ab hoc populo domitae sunt, quot a nemine mortali peragrari queunt. En Lusitani sunt, quorum regnum septingentis abhinc annis ex insigni contra Mauros victoria, tamquam illa in fabulis ex Iove Pallas armata, repente natum est: cum videlicet Alphonsus I. in oriquensi campo hostili cruore madens regiam subito purpuram iubente milite induit. Idem Ulyxis urbem iam tum magnam et opportunissimo portu munitam ex Afrorum dominatu eripuit; et acquissimam legum constitutionem, velut ille pugnax simul politicusque Tyrtaeus, laececensibus comitiis scribendam curavit. Consecuti sunt alii

reges gloriosissimi omnes et victoriosissimi. Ecce hic, Mauris adhuc in Iberia regnantibus, grave bellum in Africam transfert: prorsus ut olim a Regulo, Poenis Siciliam idest Italiae claustrum tenentibus, atque ut a Scipione dum Hannibal romanis arcibus immineret, arma in Libyam audacissime conlata sunt. Et quoniam Reguli mentionem feci, nonne huius virtutem aemulatus est Ferdinandus princeps, qui nequid Lusitaniae, restituenda Mauris urbe munitissima Septa, detrimenti accideret, libenter inter barbaros captivus usque ad obitum perseveravit? quem hostes quominus interimerent, admiratio virtutis vetuit, quae ipsum non humano tantummodo, ut Regulum, honore auxit, sed in caelum usque sustulit, consecratumque inter divos collocavit. Ecce alter rex lusitanus ut gaditanum fretum piratis mauris purgaret, tutumque ingressum atlanticis opibus in Europam praestaret, arces opportunissimas Tingin, Zilin, aliasque in africano littore occupavit; seque dominum non cis solum verum etiam trans mare regionum iussit appellari.

At cur in his immoror? quoniam interim Lusitani fines orbis cogniti egressi, usque eo pro-
vecti sunt, quo ne vota quidem mortalium, ne-

dum naves et arma, perventura quisquam putaverat. Profecto ipse Lusitaniae situs ad oceanum tentandum, vestigandasque incognitas terras, apprime suos incolas invitabat. Sic enim hoc regnum occidui maris fluctibus adtextum est, ut nulla prope sit emittendis navigiis regio commodior, nulla etiam excipiendis opportunior. Quare qui ea littora incolerent, volucris semper spe et cogitatione per immensum illum, quem quotidie spectabant, oceanum rapi atque excurrere necesse erat. Tum Deus O. M. quum in lusitanis pectoribus tantam esse inclusam virtutem videret, indicum orbem his prae ceteris obtulit, in quem illam expromerent. Iam igitur plurimas africani maris insulas, atlantica promontoria, sinus hesperios, Aethiopum reconditas terras, totam denique Africam circumnavigaverunt; atque ad indicos portus omni genere divitiarum redundantes classem appulerunt: tum usque ad Tapobranem, ad auream Chersonesum, ad Sinas, ad Iapones progressi sunt. Quasi vero id parum videretur, flexo in occidentem cursu, immensas Brasiliae terras, quas nemo umquam fando audierat, detexerunt. In utroque porro hemisphaerio indico, tum etiam in aestuosis Africae regnis, patratis plurimis

proeliis, arcibus aedificatis, exstructis portubus, latissimis terminis occupatis, colonis atque praesidiis ubique dispositis, imperium lusitani nominis maximum stabiliverunt. Iamdiu quintus Alphonsus Africani nomen, ut Scipio, obtinuerat: exin Croeso, Polycrate, et Sylla, longe Emmanuel felicius fuit: Iohannes denique uterque, secundus ac tertius, in convertendis ad Christum debellatis ethnicis, Theodosii magni, qui romani imperii idola et fana contrivit, zelo non cesserunt. Iam navarchi ducesque, Gamma, Albuquerque, Magalianus, Capralis, Patiecus, Almeida, Castrius, Acunia, pluresque alii, nonne Pompeium propemodum et Caesarem splendidissimis gestis aequiperaverunt? Navigationibus utique Nearchum et Onesicritum, Hippalum, Hannonem, Eudoxum, sine dubio superaverunt. Erant imperiosissimi Mauri, Indi opulentissimi, horrendi Aethiopes, Americani efferratissimi: de his omnibus triumphatum est. Quantus fuit enimvero Lusitanorum animus quantoque robore septus, qui tot frementia barbarorum hominum monstra, tamquam gorgonas, sibi occurrentia impavidis oculis sustinuerunt! Quod si ficta ab Homero troiani belli facinora tantam apud posteros famam ob-

tenant, quis verissima Lusitanorum satis mirabitur? Quare etiam opus fuit ut Deus Camoenum poetam indigenam et parem summis excitaret, qui tantas res digno carmine extolleret: ad historiam vero Lusitanorum indicam conficiendam, praeter patrios clari nominis magnaeque eloquentiae scriptores, Petrum quoque Maffium italum et civem meum commoveret, ad quem latinae venustatis palmam multi deferunt.

Age vero quia Mars divitiarum omnium desponsor est, ex his victoriis maritimis et quasi Bacchi triumphis indicis, incredibilem opum affluentiam consequi pronum fuit. Namque abundabat Europa quidem ingeniis, artibus, civilitate, doctrinis omnigenis: instructa erat egregiis urbibus, polita institutis, agris bene consitis, et ceteris quas industria laborque parat commoditatibus: ipsas tamen sponte creatas maioresque omni artificio opes, nescio cur natura longissime a nobis inter barbaros populos disseminaverat; auri nimirum argentique venas uberes, gemmas pretii maximi seu terrestres seu marinas, pharmaca saluberrima, tincturas eximias, saporis gratissimi bacas vel segetes, ligna odorifera aut incorrupta, candidissimum ebur, vestes mollissimas, aves fe-

rasque aspectu et colore miras, alias delicias plurimas: quae omnia in instructissimo Olisiponis emporio repente apparuerunt; atque hinc in omnem Europam tanquam venis infusus sanguis summa populorum commoditate usu atque laetitia dimanaverunt. Quis mihi iam memoret celebre emporium atque Athenarum portum Piraeum, quem prisci homines ocellum orbis dicebant, propterea quod ibi Graeciae Ioniae atque Aegypti satis vicinarum regionum merces confluebant? Quis nunc mercatorum phoenicum et carthaginensium iactet navigationes? Certe iam ridiculi sunt Ulyxis Aeneaeque errores, Iasonis colchica expeditio, Minois maris imperium. Porro, si vere dicendum est, tanta haec Lusitanorum fortuna, pietatis eximiae meritis deputari debet, qui summo officio Deum promeriti sunt, dum eius religionem sanctissimam cum victricibus armis toto orbe circumtulerunt; dum e rudibus atque efferatis anthropophagis mansuetos piosque homines effecerunt; dum tot politissimas urbes in media barbarorum vastitate extruxerunt; dum cunctum denique a se patefactum peragratumque mundum, communem revera patriam, quod apprime volunt philosophi, effecerunt. Quae cum agerent, pro-

fecto Lusitani magnum quoque benivolentiae suae erga homines indicium edebant, quia quidquid sibi utile commodumque noverant, id aliis quoque prodesse volebant; et pro suarum mentium nobilitate, magis se ad conferenda beneficia, quam ad accipienda, natos putabant.

Sed me mea oratio, dum Lusitanos maria omnia circum consector, fluctus instar transversum rapuit: igitur ad Iohannis principis vitam politicam stilus convertendus est; qui iuvenilibus annis, reip. habenas, si nondum nomine certe re ipsa rex, propter Matris reginae infirmitatem, tractandas accepit. Luctuosissimi temporis memoriam commoveo: cum enim nobilis illa Gallia vehementissimis civilis discordiae fluctibus perturbata, atque a sedibus suis convulsa, maris instar exundavit, cunctisque finitimis minarum armorumque suorum terrorem intulit; eo, inquam, tempore Lusitaniae suae praeesse coepit mitissimus Iohannes princeps; qui quamquam suoapte ingenio pacem diutinam exoptasset, nihilominus ceteris gentibus adversus communem perniciem consurgentibus deesse noluit; missaque validarum copiarum vi, causam publicam, donec utile prudensque fuit, sustentavit. Verum deinde sociis partim de sua

an.
1791.

an.
1801.

singulis re paciscentibus, partim tractu terrarum immenso dissitis; Iohannes princeps quam populi sui felicitatem armis protexerat, eam pace sibi procurata firmavit. Nam sapientes, ut ait Sallustius, pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Etsi autem qui regnis praesunt, ii ne si velint quidem, carere bellis periculisve queunt; quis tamen nescit, honestam pacem multo esse potiore, quam aleam belli experiri, incertosque armorum exitus Martemque communem pertimescere? Quamobrem bonus princeps ut cuius praeclearae rei semper studebit, sic a cruentis dimicationibus quantum poterit abstinebit. Postquam igitur ab armis lusitanus Princeps recessit; nulli iam belligerantium partium adhaerens, coepit ipse patefactis nationi cuius emporiis suis divitias orbis terrarum mari absorbere. Testem historiam invoco: nihil fuit Lusitania felicius nihil opulentius toto post initam pacem sexennio, propter insecutas incredibilium bonorum commoditates. Nam quum ceterae Europae regiones, ob acerbissima quaedam belli iura, difficili aut nullo maritimorum populorum commercio uterentur, universa navigandi utilitas, quae infinita esse solet, ad lusi-

tanos portus confluit. Idque omne prudentiae Principis et susceptis ab eo recte consiliis Lusitania acceptum ferebat, qui suum populum securitate, otio, pecuniae numero, beatissimum fecerat. Nonne enim cuncti politici bene gestae reip. indicium putant, si ipsa opibus commodorumque copia redundet? Iam quum maritimi commercii tantae fuerint utilitates, quid si addatur lusitani soli naturalis illa omni tempore anni fecunditas, a Polybio atque Strabone amplissimis verbis laudata? camporum silvarumque perpetua viriditas, collium fructuosissima amoenitas, fluminum opulenta et copiosa interfusio, caeli perblanda temperies, annonae felicissima vilitas? Est enim haec regio pulcherrimum veluti propylaeum non a Pericle quodam Athenarum arcis, sed a Deo sapientissimo artifice Europae regnis praepositum atque adornatum. Dum igitur complures europaei populi, ob praecipitem meracae libertatis amorem, ipsi semet in laqueos atque errores maximos induebant; quia deminutis nobilitatis opibus et iure infimae plebis amplificato, partem reip. potiore deteriori supposebant; Lusitaniae felix regnum ab omni demagogorum strepitu remotissimum, reapse demonstrabat (nam

rerum testimonia sunt ubique verbis veriora) nihil esse melius regio civitatis statu, si certe populus in propitium dominum incidat. Enimvero compertum est, gentes in iis institutis diutissime permanere, a quibus plurima bona, mala nulla, percipiunt. Atqui Lusitani septingentos iam annos in patrio regum suorum dominatu manserunt.

an.
1807.

Sed neque vis foederum neque aequitas neque Numinis vindicis reverentia, erinnyn gallicam, quae iampridem optimum regem suum summo scelere extinxerat, a conturbandis innocuis Lusitaniae populis cohibere potuit. Nam quo libentius Princeps noster pacem suis moribus apprime aptam amplexus fuerat, eo Mars turbulentissimus ad quaerendas suscitandasque belli causas alacrior erat: qui post ingentes de potentissimis regibus relatas victorias, dum Britannos maritimos universa continente excludere nititur, hoc ipso usus obtentu est, ut Lusitaniam vel omni beneficio amicitiaeque Britannorum priveret; vel si minus obsequentem experiretur, eam armis, quod cupidissime optabat, opprimeret. Mandabat ergo Lusitanis merces anglicanas fisco addicerent, Anglos ipsos vel inquilinos vel mer-

catores in vincula coniicerent, copias suas maritimas atque terrestres cum gallicanis coniungerent, praesidium denique arcibus suis imponi paterentur. Haec nimirum durissima imperabantur: ius enim haud aequè armis ut legibus dicitur, sed Mars praepotens cuncta ad fortioris utilitatem decernit: atque ut Ennius ait — pellitur e medio sapientia, vi geritur res. — His conflictatus angustiis Iohannes rex videte quid egerit. Pacem, inquit, cum Britanno immerente non dirimam, instantis hostis minis non obsequar, multoque minus armis eius circumsideri me sinam. Novi gentis meae fidem, novi Lusitanorum excelsos spiritus, qui etiamsi brevi tempore ab adversaria potentia opprimi possint, suam nihilominus vim quantocius exserent. Quamquam enim innumeras Lusitania colonias ad remotissimos orbis fines deduxit, numquam tamen haec tanta dissipatio civium antiquae patriae vires debilitavit. Est mihi novus trans oceanum orbis, qui lusitano tegitur laetus umbraculo; sunt latissimi imperii regiones, quae meum conspectum tandiu exoptant, numquam fere speraverunt, nunc tandem non sine ingenti suomet fructu consequentur. Porro facti mei exemplares ducesque habeo

tum romanos Pontifices tum etiam Caesares byzantinos: illi enim turbulentissimis Italiae temporibus sedem apostolicam in Galliam transtulerunt; hi occupato ab occidentalium armis Byzantio, Nicaeae ac Trapezunte regnaverunt: utrique autem, pari fere interiecto tempore, stationes suas pristinas feliciter receperunt. Memini etiam, adventantibus barbaris, patriam suam Athenienses desertam reliquisse; more scilicet prudentis gubernatoris, qui parumper, superantibus fluctibus, clavum remittit.

Iam carbasa intenduntur, iam regia navis in altum protrahitur: fida Olisipo sinum dolore scindens plangit in littore; effusus populus voce gestibus votis clementissimum regem prosequitur. Quis tunc non ingemuit? quis fortunae volubilitatem non est detestatus? quis hunc discessum siccis oculis inspectavit? quis denique de suis periculis non pertimuit, quum lares proprios mox flagratos bello intelligeret, et florentissimum regnum iam addictum vastitati videret? Disceditur; comitesque itineris sunt hinc quidem regina Mater, quam annis gravem morboque diutino adflictam novus Anchisiades insigni pietate sustentat ac recreat; hinc vero regina Uxor,

magnorum regum progenies, prosperis excelsior
 rebus et adversis invicta. Adest Matertera prin-
 cepts: adest natorum praecipuus Petrus tam late
 patentium regnorum heres: adsunt gratissimi as-
 pectus virgines Filiae: adest Michael tunc natu-
 minimus, nunc iam heros. Porro autem concita-
 tis in continente tellure turbinibus bellicis haud
 impar fit tempestatibus suis oceanus. Expedite
 rudentes, vela demittite: ecce hoc nuper iacentis
 elementi tenerum aequor, hic planissimus luden-
 tium phocarum campus, magnos subito montes,
 stridente procella, undarum extulit. Heu quam
 timeo fluitanti per saevum pelagus classi! Atta-
 men felici, quod regia pignora vehit, navigio cur
 metuam? Nam si olim Caesar neque genuina
 pietate praeditus, neque optimam causam agens,
 Hadriae tempestates non extimuit, seque in por-
 tum a sua fortuna pervectum iri fidenter prae-
 dixit; quid ni regem optimum cum pientissima
 domo, in qua totius Lusitaniae fata recumbunt,
 favore Dei singulari atque omnium superum pa-
 trocinio tutum existimem? Reapse cerno

Ecce novum magno laetantem corpore mundum,
 Tendentemque manus, et laeta voce vocantem
 Auriferum in gremium gemmataque littora reges.

an.
1808.

Age vero translatam in Americae oras regiam sedem, magna statim regionum illarum felicitas subsecuta est. Quippe rex prudentissimus quam libertatem commerciorum securitatemque Lusitanis nuper conciliaverat, eandem Brasiliis tribuit; quo facto, omnis ilico opulentia ex latissimis terrarum marisque tractibus derivari in Brasiliam coepit. Laudatur a divo Augustino gratissimum Antonini Caracalli decretum, qui civitatem romanam cuncto orbi sponte largitus est, quam antea senatus ne italicis quidem sociis petentibus belloque atrocissimo vindicantibus concedendam putaverat. Post Antoninum, ecce alterum hoc est exemplum communis iuris remotissimis etiam gentibus indiscretim concessi, cum Iohannes rex Brasilios, Guyanos, Paraquarienses, Afros, Indos, multis regnis insulisque quam late patet orbis dispersos, lusitana civitate parique legum aequitate donavit. Quin adeo mancipia etiam, quae plurima in Brasiliam e regionibus barbaris devehebantur, dedit operam ut minore paulatim numero essent; secutus, credo, Synesii consilium, qui Arcadium caesarem vehementer olim admonuit ne gothica servitia in imperii romani provinciis multiplicarentur: praeter quam quod

liberis magis hominibus, quam servis, imperare gloriosum est; bonusque rex mavult sibi parere homines, quam servire. Optavit igitur Iohannes rex ut mancipiis afris, conditionis liberae homines substituerentur, religione, litteris, artibus, a pueritia innutriti; qui et publica opera melius curarent; et agros, qui sui essent, libentius colerent; et patriam, cuius aequabili iure utebantur, omni genere officiorum demererentur. Hac munifici regis fama excitatae artes, quae politio-rem vitam ac beatio-rem efficiunt, in Brasiliam certatim properaverunt: forum Themis, academiam philosophia, suggestum eloquentia, Minerva officinas, pharmacopoeiam medicina, agrum geoponica occupavit. Tum ipsa demum Brasilia, quae hactenus colonia fuerat, nobilissimum regni nomen et dignitatem accepit.

Sed me Lusitani revocant, qui hostem interim in regni penetralia astu illapsum, incredibili fortitudine bis expulerunt. Primum quidem anno saeculi octavo, inimicis legionibus Olisiponem contra fas tenentibus, indigenarum pro rege suo et pro religione certantium summa virtus repente emicuit, arma undique movit, oppressores exagitavit, finibus proterruit, ad mare usque

galloccum strictis gladiis compulit: ita ut qui itinere nuper pedestri, armis erectis, omni bellicorum tormentorum apparatu praediti, lusitanum solum gloriabundi pervaserant; nunc induciis aegre impetratis, demissa fronte, navibus ab hoste commodatis, patriam suam cum ignominia repperent. Quis hanc victoriam digne celebret, etiamsi mari illo eloquentiae tullianae vel torrente fluvio Demosthenis instructus sit? quae cum per se maxima fuit, tum idcirco multo utilissima, quia ceteris Europae populis signum veluti sustulit ad sperandam quam prope iam deploraverant libertatem. Paucis igitur proeliis omnis fortuna patriae restituta est; vereque demonstratum, contemptorem mortis populum potentiae nulli succumbere: nam quod in opulentis multitudo, id in fortibus voluntas praestat; neque belli cardo in corporum numero, sed in animorum vigore versatur.

an.
1809

Europaeum triumphum americana victoria comitata est; ita ut ex utroque oceani littore plausus omnium gentium lusitanae virtuti concrepauerit. Namque hoc tempore rex Iohannes ex eadem factione ac gente hostes, qui perampnam Guyanae regionem iamdiu insederant, ar-

mis pariter pepulit, et terra marique victos, arces tradere, portubus excedere, damnumque Lusitanis in Europa illatum compensare quodammodo adegit. En igitur Brasiliae imperium, quod iam tantam novi orbis partem occupabat, prolatis nuper ad septentrionem atque ad occidentem latissime finibus, sin minus populi numero, amplitudine certe terrarum, cum vetere illo romano comparari coeptum est. Porro ut initiis romani imperii neque interna dissidia neque externi hostes defuerunt, ita surgentibus in America Brasiliae opibus partim coloni finitimi partim etiam cives aliquot deteriorum partium studiosi aperto Marte resistere conati sunt. In quo negotio difficili nemo Regis vigilantissimi vigorem atque consilium, nemo Filii eius, qui ad tanti imperii spem succrescebat, militarem virtutem ac politicam scientiam desideravit. Itaque et externorum hostium impetus propulsatus fuit; et rebelles etiam, qui rem animati potius quam parati susceperant, regio robore prostrati sunt. Submotis ergo longissime hostibus, tunc commode accidit, ut Brasiliae imperium naturales sibi fines apte circumdaret; immanium scilicet montium iuga, lacus fluviosque maximos, hercynias

silvas, infinitum denique oceanum, tamquam propugnacula divinitus adtributa, atque ad firmandam rei politicae stabilitatem iam inde ab orbe condito constituta.

an.
1810.

Sed ecce iterum antiqua Lusitanorum in Europa metropolis, biennio post eiectos finibus hostes, novo bello ac periculosissimo infestari coepit. Illa enim externa et iniustissima vis, quae maximam Hispaniae partem cum suis principibus captivam tenebat, missis nunc, cum ferali decreto, centum armatorum millibus Lusitaniam occupandam ac prope ungulis equorum curruumque rotis conterendam commisit. Sed enim longe dispar negotium est decernere in senatu de bello, ac in acie illud peragere. Quibus autem ego verbis utar, aut quo me artificio orationis expediam, ut hoc bellum, quod tantopere lusitanam gentem illustrat, breviter narrem? Vincit officium linguae facinoris magnitudo; vel hic potius meliorum atque uberrimorum rhetorum campus ad ostentandam eloquentiam futurus est. Revocemus in memoriam Xerxem illum aut Darium Graeciae arma inferentem. En vobis Thermopylae prope Olisiponem ad Turres veteres; quem locum scilicet Lusitani Anglique praesidiis firmatum at-

que omni ratione obvallatum a Tago ad oceanum tenebant, et quem numquam hostis legionibus suis patefacere potuit. Prorsus ut olim Peloponnesii propinquantibus Persis corinthium isthmum interclusum muro obiecerunt. Marathonia deinde pugna committitur ad Conimbriam, ad Almeidam, ad Santaremium: salaminii maris speciem exhibet Tagus Britannorum auxiliarium navigiis late occupatus: graecorum heroum virtutem ac nomina lusitani anglique fortissimi duces militesque renovant. Tantorum vero certaminum neque ego tumultum clamoresque bellicos, neque mutuas cohortationes, neque ducum peritiam, neque militum ardorem et impetum, neque necis vulnerumque contemptum, neque audaciam incredibilem, neque fortitudinem constantiamque invictam commemorabo: quae omnia non ex oratoris eloquentia sed ex victoriae successu vobis intelligenda sunt. Lusitani enim patriam uno anno liberaverunt; fugientes deinde per Hispaniam hostes proeliis multis attriverunt; donec Pirinaeis superatis, patrataque in alieno etiam solo cruenta atrocique pugna, finem bello maximo, quarto post iterum tentatam ab externis armis Lusitaniam imposuerunt.

an.
1820.

His perfunctam periculis laeta pax Lusitaniam fovebat. Verumtamen quod toties Romae accidit, Livio teste, ut amotis externorum hostium timoribus discordiae civiles recrudescerent, et recentem gratulationem nova calamitas obrueret; sic Lusitania intestinis primum ac caecis motibus, mox manifestis ac publicis partium contentionibus, fluctuare coepit. Nam quia prope naturaliter multi homines novarum rerum cupidi sunt, et quia quidquid futurum est, re praesenti melius videri solet, iam hinc omnium civilium motuum commutationumque abunde causa consurgit. Qui ubi amarissimus rumor aures Regis in Brasilia pulsavit, is ut erat prudentia insigni iamque tot exercitatus eventibus, statim constituit non omittere caput rerum antiquam patriam, neque per suam absentiam lusitanas fortunas in casum dare. Quamobrem qui pro populo tutelae suae divinitus commisso nullum unquam laborem recusandum putaverat, Lusitaniam sibi repetendam sine mora iudicavit, ut civilibus fluctibus obviam iret, pacemque cruore plurimo nuper partam regno suo confirmaret. Adest igitur (videte fiduciam principis iusti et suorum mentibus freti) adest ad Tagi ostia Iohannes rex; ad quem praesentem

cuncta statim venerantium officia conversa sunt; facem suam erinnys pudibunda restinxit, civilium ordinum sub indulgentissimo domino consociatio denuo coaluit, totumque corpus politicum in quietem placidissimam resolutum est. Sic olim, ceu romana tradit historia, civilem motum Iulius Caesar uno verbo, Augustus vultu, Hadrianus epistolio compescuit.

Redierat in Lusitaniam rex, neque tamen Brasiliam deseruerat: relictæ enim ibi parte magna sui herede regio et rectore Filio, rei brasiliensi satis abundeque consuluerat. Ecce autem tantum illis regionibus incrementum virium ac civilitatis accessit, ut imperii augustius nomen assumpserint; et quod romani exercitus post rem bene gestam solebant, Petrum principem tam amplæ ditionis defensorem ac dominum, imperatorem suum appellaverint. Tum officiorum veluti quoddam inter utriusque regni populos benivolentiaque certamen coortum est: Brasiliæ enim imperatorem cum Filio Parentem acclamaverunt; Lusitani Brasiliam caesarea nuper dignitatem exornatam læti salutaverunt. Paret igitur proprio imperatori trans oceanum immensa Brasilia, paret Guyana, paret Paraquaria. Regi au-

tem suo paret Lusitania, parent africanae coloniae arcesque cum insulis, paret goensis metropolis, cum emporiis indicis usque ad Sinas. Haec ego in publicis actis quum legerem, tabulas mihi supremas Alexandri macedonis audire videbar, qui maximam orbis partem inter duces suos dividebat. Atque haec me cogitatio magis afficiebat, quia statim post inscriptum ab utroque populo in tabulis foedus, Iohannis quoque regis acerbissimum funus consecutum est. Oh nimis cito ereptum nobis regem, et omni lacrymarum fonte deflendum! Sed videlicet princeps mortalis erat; at Lusitaniae sceptrum perpetuum.

Ecce autem aliud domesticae pietatis in brigantina familia specimen. Nam quum iterum post Patris fata, in Petrum imperatorem vetus regnum Lusitaniae hereditario iure devolveretur; hic aemulatus nuperum exemplum Patris atque prudentiam, brasiliensi diademate contentus fuit: Lusitanis vero suis reginam imposuit proprio liberoque iure fruentem Mariam filiam; cuius etiam posteri lusitanum cis oceanum potentatum gubernarent. Atque hoc adiecit fraterni amoris duplex testimonium, quod Michaeli principi, summae spei et gloriae adolescenti, reginae Fi-

liae nuptias munifice destinavit: atque interim Isabellam sororem regnandi arte callentissimam publicae rei, quod iam Pater decreverat, cum suprema dignitate praeposuit. Bis itaque optimorum regum Patris ac Filii aemula pietas et par sapientia lusitanis utriusque continentis populis salubriter tempestiveque providit.

P A R S II.

Hactenus de lusitani Regis vita politica; nunc reliqua de religione eius et moribus persequamur. Orandi studium, atque a Deo fonte omnium bonorum necessaria ad bene regnandum adiumenta petendi, nemo alienum a rege arbitritur. Rei praenobile et pervetustum exemplum est David ille sanctissimus, a quo psalmorum tot preces habemus; quas quidem Iohannes rex pro rato veluti sacerdotalis ordinis penso quotidie recitabat: idemque in sacello suo preces ad Deum plurimas nullo die non effundebat, ut sua consilia reip. prosperaret: neque cubitum umquam secessit, prius quam latens sub eucharistica specie Numen venerabundus salutavisset; quod etiam ad aegrotos ex catholico ritu delatum, fre-

quenti obsequio comitabatur. Et quidem ex orandi assiduitate humanus animus particulam veluti quandam divini luminis attrahit, ad res praeter humanam prope conditionem bene gerendas: qua facultate spirituque quicquam ne utilius magisque necessarium regi est? Praeter quam quod nisi Deus in partibus nostris sit, ea etiam quae rectissime excogitata videntur, in contrarium vergunt. Iohannes igitur multam spem successus in propitiata sibi per preces benivolentia Dei semper collocavit. Ob quam orandi sedulitatem quis tandem lusitanum regem reprehendat? si quantum temporis alii diversis oblectationibus tribunt, tantum ille sibi ad colenda religionis officia sumebat.

Deum a regibus praecipua religione coli oportere, propterea quod ipsi maximis ab eo muneribus adfecti fuerunt, sapiens Agapeti observatio est. Regem praeterea religio contra omnes vitiorum impetus armat, ab eo voluptatum blandimenta repellit, ipsum suis cupiditatibus haud minus imperare quam hominibus docet, iram mitigat, misericordiam elicit: fastum denique summae fortunae deprimit, dum caducarum rerum ludibria revelat, admonetque regem ut cogitet quoties-

cumque e pulvere in solium conscendit, fore ut aliquando in funereum pulverem de solio descendat: interim vero, ut rex hominum dominus est, sic ipsum regem sub Dei potestate dominatuque teneri, quem talem sui iudicem experturus sit, qualis ipse subditorum procurator extiterit. Profecto religionis studium quantopere regibus ethnicae etiam gentes necessarium putaverint, testis est Diodorus siculus, qui regum aegyptiacorum religiosam institutionem vitamque narrat; quibus nihil antiquius divinis caerimoniis cultuque erat; qui hierophantam quotidie audiebant de moribus, de iustitia, continentia, mansuetudine, liberalitate, ceterisque animi dotibus disserentem: qui denique impositis vitae regiae severissimis legibus, omnem sibi praeciderant licentiam libertatemque peccandi. Itaque dum his moribus vivitur, Aegyptiorum respublica crevit, nationes tum finitimas tum longinquas perdomuit, maximam vim opum coacervavit, provincias et urbes magnificis operibus, quae partim adhuc exstant, exornavit: quodque caput est, successio regum indigenarum tamdiu in Aegypto mansit, ut hi certe ab Abrahami aetate ad Cambysem per-

sam mille et quingentis annis in summa gentis prosperitate regnaverint.

Post reverentiam Dei, sequitur ut erga ecclesiam obsequium commemoremus. In primis Iohannes rex ecclesiasticas sanctiones, puta festos dies, stata ieiunia, expiationes animi, sacras synaxes, munia reliqua, incredibili severitate constantiaque observavit: tantumque in eo fuit religiosae observantiae studium, et peccati odium, ut vel ipsam noxae mentionem totis artibus exhorresceret: quae res perpetuam regis optimi innocentiam sanctimoniamque demonstrat, cuius nulla aetas a summo virtutis apice aberravit. Atque huius religiosissimi exempli quantam vim apud populum fuisse existimamus? quandoquidem mores regis imitari, genus obsequii indicatur. Nec leve dedit Iohannes suae erga ecclesiam reverentiae amorisque indicium, quum ipso anno quo post funus reginae Matris lusitanum thronum inscendit, legem illam antiquavit qua cautum fuerat, ne mortuorum hereditates ad religiosorum hominum coetus pervenirent. Illud quoque apophthegma pium regis animum luculenter ostendit. Quum enim nescio quis concionator liberius aliquid in

oratione sacra dixisset, quod aulici homines vindicandum iudicabant, nullam institui de re quaestionem rex voluit. Quod enim, inquit, Europae universae iudicium foret, si catholicus princeps sacerdoti vera locuto negotium facesseret? Quin adeo post civiles, quas iam attigi, conversiones quum plenioris denuo potestatis arbitrium ad regem rediit, ipse statim uno die, uno scripto, laetante animo, perhonorificis verbis, bona omnia se absente invitoque ablata ecclesiae restituit, aedes sacras reclusit, parthenopaea virginibus, coenobia monachis, curias parochis, titulos, munera, privilegia sacerdotibus, quaestiones quoque ecclesiasticas religiosis iudicibus attribuit et confirmavit.

Reliquas Iohannis regis virtutes ut carptim dicam; post res divinas locum praecipuum parentes tenent: Iohannes autem reginam Matrem quanto amore et obsequio prosecutus sit, historia abunde testatur: eius enim vices administrando regno quinque ferme lustris reverentissime atque amantissime gessit: tantaque modestia ac pietate fuit, ut quae saepe cogitaverat ipse atque perfecerat, ea tamquam matris opera annalibus celebranda transmitteret, neque tam suo quam

materno nomini memoriam quaereret: eandem aegram trans oceanum secum avexit, moestam consolatus est, morienti oculos pie clausit, extinctae cineres in patriam reportavit, ac splendidiore quam dici potest funeris pompa maiorum tumulo intulit.

Quid dicam de liberalitate Regis in calamitosos, sive artifices sive milites sive patresfamilias sive viduas atque pupillos, in quos quotannis ingentem pecuniae thesaurum insumebat? Audio a familiaribus eius nullum ferme in Lusitania regem fuisse, qui Iohannem VI. liberalitatis laude superaverit: semper enim is voluit, quod recte olim suadebat Constantius Chlorus, pecuniarum thesauros non in angusto aerarii septo desiderare, sed in egenorum manibus usibusque versari. Quin adeo grande quoque aes alienum a benignissimo Rege non semel condonatum miseris scimus: et multos praeterea e squalore carcerum atque ex vinculorum tristitia ad dias luminis auras atque ad suorum complexum revocatos. Quis autem nescit civium inopiam et miserabiles illas stipem rogantium turmas dedecori esse reipublicae? Semper itaque boni principes dederunt operam non ut ipsi divitias ex multorum paupertate conge-

rerent, sed ut regiis divitiis in medium allatis egestatem alienam sublevarent: iidemque civium patrimonium ut suam rem curarunt, quod egregium Isocratis praeceptum est; atque ab augendis populorum utilitatibus et commodis numquam recesserunt. Cuncta enim, ut ait Symmachus, princeps regit, sed suum cuique conservat; tennes et infirmos propensa benignitate complectitur; lautis nedum invidet, sed eos beneficiis amplificat. Celebratur denique Iohannis regis magnificentia etiam erga bene de litteris meritos homines, quos amplissimis praemiis saepe exornavit.

Inclytum est regis ethnici effatum, qui auditis accusationibus, aurem alteram defensionibus liberam reservare se aiebat: noster vero christianus calumniis et obtreptionibus ne unam quidem unquam aurem vacuam commodavit; seque omnis maledicti perpetuum osorem professus est: quae virtus quantopere laudabilis in rege sit et quantorum medicina malorum, verbis multis declarare non interest. Iam quantum ab omni nocendi occasione abhorrebat, tantum sibi conciliandis omnium ordinum conditionisque mortalibus quotidie studebat. Prudentissime id quidem:

nam politicus summus Cicero nihil aptius ad potentiam retinendam censet esse, quam diligi; nihil alienius, quam timeri: malus enim, inquit, custos diuturnitatis metus. Rursus priscum effatum est, nequid vi potius quam mansuetudine, cum utrumque licet, efficere velis: immo Plato, ut idem observat Cicero, hoc quoque legislatoris esse putavit, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. Illis morem gerens praeceptis Iohannes rex, tulit virtutis suae gloriosissimum et suavissimum fructum, ut volentibus subditis imperaverit; firmissimaeque populorum suorum benivolentia munitus, neminem umquam nisi vinculis amoris obstrictum rexit. Qua re quidnam efficacius esse potest? quandoquidem regia auctoritas, si obsequentes cives nacta fuerit, plurimum efficit; minus vero ipsa per se sola potest.

Moderatio quoque lusitani Regis iure meritoque commendata est; primum quidem quia numquam fere imperio utendum censuit, ubi legibus agi posset; deinde quia in pace curavit ut suum regimen instar rivi purissimi dulce incederet et placidum: turbatis autem bello aut discordia rebus, debuit ille enimvero dilapsa colligere, distorta aliquando emendare, reip. vulnera per-

sanare; verumtamen connisus est ut id inter cives faceret quam minimo adversarum partium incommodo ac dolore. Namque ea demum fortitudo facit clarum regem quae adversus hostes, non quae adversus cives exseritur: meliusque est beneficiis superare adversarios quam maleficiis; sic enim benivoli plurimi, inimici paucissimi fiunt. Magna quippe in populo est admiratio regis mansuete se leniterque gerentis: nonne enim unus Titus plura obtinuit extinctus laudum praeconia, quam cuncti dum viverent romani Caesares? Sane et ceteris Lusitaniae regibus hereditariae veluti communesque dotes fuerunt, civilitas, clementia, suavitas, paterni forma regiminis. Quamquam igitur inopini casus atque interdum terribiles vitam regum comitari soleant, attamen ex XXV, qui hactenus Lusitaniae praefuerunt, patriis regibus, nemo a suis subditis violentam mortem passus est; nemo nisi cum populi lacrymis vitam deseruit. Quumque post pugnacissimi regis acerbum sine prole obitum, externa se dominatio ad Lusitaniam porrexisset; populus eam rem perpetuam esse noluit; desiderioque regum indigenarum, ad Brigantinam familiam regio genere satam, totiusque regni suffragiis expetitam, scep-

trum avitum transtulit; quod et iamdiu feliciter obtinet, perpetuoque cum Dei benivola voluntate tenebit.

Postulat hic locus ut de clementia paulo uberius loquar, quam Rex noster sic in omni vita adamavit, ut ea peculiaris Iohannis VI. virtus numquam non dicenda sit: quare et Titum lusitanum multi appellabant. Tanti reapse regis, cuius auctoritatem oriens sol atque occidens venerabatur, blandus erat vultus, mitis intuitus, lenis vox, benignum alloquium, ipse incessus et status ad mansuetudinem omnimodam humanitatemque compositus. Quod eo est admirabilius in rege, quum etiam homo privatus vix facile sese regionibus modestiae, magnis in fortunis copiisque, contineat. Privatorum hominum ad regium conspectum aditus et facillimi erant et frequentissimi et ad iusta impetranda peridonei. Quid illae regis optimi frequentes voces, populus meus recte ne suas res gerit? beatus ne est? contentus ne meo regimine est? Etenim ego pater appellari et amicus a Lusitanis malim quam rex et dominus. Regalis sane et digna Brigantinorum genere sententia, quorum est omni tempore celebrata benignitas!

Sed enim ad clementiam severitatemque quod adtinet, duplex philosophorum oratio est. Alii dicunt, paucos homines suapte virtute iustitiam sectari; sed plerosque legum poenis territos a maleficiis abstinere. Igitur principem, veluti im-moti iuris custodem, inexorabili severitate ar-mant; nullum fere gratiae, nullum laxamento veniaeve locum relinquunt. Quotusquisque, a-iunt, freno sponte obtemperat? Immo qui time-re desierit, lascivire incipiet. Contradicunt alii, aiuntque humanam naturam haud fere terrori-bus cohiberi emendarive solitam; et castigationi-bus reip. contristari magis quam corrigi. Nam si supplicia extrema sint, quoniam multi in po-pulo peccant, necesse est vastari civitates; sin paulo minor punitio fiat, is qui a legibus poe-nam passus est, reip. plerumque odit, iraque inexpiabili furit. Quare sapienter egisse Platonem iudicant, qui etsi politicae scientiae summus ma-gister erat, tamen quia civium suorum mores corrigere desperabat, omnem reip. administran-dae curam recusavit. Neutra tamen, ut arbitror, philosophorum sententia ad verum satis collineat, nec reip. consulit. Etenim homines religione, be-neficiis, civilitate ac prudentia inpelli ad virtu-

tem efficacius, quam poenis minisve, queunt: qui autem nihilominus peccant, ii si misericordiam consequantur, vel certe si pro peccati sui gravitate mitiorem poenam referant; mentem ob id beneficium saepe immutabunt; suique poenitentes, repente optimi fient. Mire enim capiuntur regum charitate paternoque regimine homines: eaque causa est, ut plerique populi, seu veteres seu recentiores, regalem potius quam liberam civitatis formam adsciverint. Porro rex Dei gubernationem, ut ipsi praecipiunt politici ethnici, imitari debet: atqui id maxime faciet, si nihil existimabit misericordia pretiosius, et si clementiae fontem semet exhibebit; si lenis sit, tranquillus, propitius, beneficus, conservator, et qui ob merita ac beneficia Deo simillimus iudicetur. Porro neque Deo similes sunt neque a Deo amantur, nisi qui homines amant.

His commotus doctrinis, quas a christiana praesertim philosophia hauserat, Iohannes rex ad deponendas offensiones mollissimus semper fuit, partesque lenitatis atque clementiae semper egit libentius. Et quoniam ab hominibus modo bene modo secus agitur, existimavit multo magis decere regium animum ut recte factorum quam ut

maleficiorum memoriam retineret. Nam poenae omissio, in politicis certe criminibus, ab eximia quandoque virtute videtur progredi; ceu si regia dignitas magnitudine fastigioque suo sibi sufficiat, quin opus defensionibus sit. Hinc prope caeleste decretum illud e Brasilia in Europam missum, de quo numquam lusitani annales conticescent. Quum enim post hostes regno expulsos, de multis civibus, qui pravis opinionibus abrepti peccaverant, quaestiones instituerentur, rex clementissimus magnopere vehementerque vetuit, ne molestia cuiquam crearetur. Atque oh rem, inquit, mihi totam odiosam, cum de vindicandis iniuriis agitur! Malo autem si centum, puta, accusentur, novem ac nonaginta criminosos ex his absolvi, quam unum ex toto numero fortasse innocentem, errore aliquo iudicii, condemnari. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest? Illud etiam perpetuo cavit, nequis praecipites imprudentium verborum poenas lueret: memor, credo, praeclarissimi Pyrrhi, qui iuvenes seditiose se audiente locutos, blando et facili risu permulsos dimisit. Quumque aliquando apud Iohannem regem de puniendis seditiosissimis ageretur; satis, inquit, est quod hi odio premuntur omnium hominum.

Atque hic ego cur iam vetera exempla commemorem? vel Antiochi qui accusatos de proditione absolvi mandavit, hoc unum dicens, meliorem esse vindicta veniam: vel Marci Aurelii, qui cassianae coniurationis participes a senatu interfici vetuit; nequis se vivo et volente, inquit, invitus moreretur. Prorsus moderatio pluris est quam victoria; illa enim gloriosior est et securior; semperque in prosperitatibus interest, nihil extra mansuetudinis leges committere: immo qui belli superior hostibus fuit, oportet ipsum in pace misericordiae succumbere. Siqui tamen pessimi regiam clementiam protervia sua calcaverint, hi censuram demum experientur, quam iam nemo acerbitalis insimulabit; nemoque nocentem existimabit, qui nocentes poena adficit. Etenim, ut sapienter Lactantius ait, bonorum salutem custodit, qui malos punit.

Regis lusitani clementiam merito admirati sumus; sed illud haud minore commendatione dignum est, quod sategit ut infligendis quam rarissime poenis opus foret: et ne delinquentes puniret, curavit ut plurimi abhorrerent a delinquendo. Nam Pythagorae fortasse dictum prae oculis habens, qui libenter omittens de genere

reip. disputationem, facta civium spectabat, aiebatque optimam illam esse reip. formam in qua cives essent optimi (quod effatum laciniosas politicorum sententias uno virtutis capitulo comprehendit); in eo curam vehementissimam posuit ut boni mores et intemerata religio in populo suo vigerent; ideoque praesertim pueros diligentissime voluit institui, ita ut per omnem honestarum artium cursum traducerentur, et virtus cum ipsa aetate in teneris animis inoleceret. Idem plurimam dedit operam ut regno suo excluderentur libri illi neotericorum, qui doctrinas immanes atque pestiferas subdola eloquentia insinuant, qui legentium animas vulnere arcano perimunt, totque saeculis et ingeniis adsertae atque defensae religioni denuo calumniam struunt: quae scripta et nunc stragem passim edunt, et nisi ex populi manibus submoveantur, spes nulla quietis publicae superest, neque fieri potest ut summa scelera atque flagitia ex hominum vita moribusque tollantur. Haec ego fidenter aio; quamquam scio vitiosis amara esse praecepta iustitiae. Nonne vero ex huiusmodi libris manavit illa nuper erinnys, quae seditionibus, caedibus, direptionibus, rerum publicarum mutationibus, miseriisque infinitis uni-

versum orbem, veluti morbis, implevit; quaeque durissimae servituti popolare nomen libertatis imposuit?

Profecto ipse Plato ait non tam moenibus vel triremibus egere civitates, ut felices sint, quam virtute. Ceteroquin inde concludimus, virtutem utique prosperitati reip. prodesse excellentissime; quin interim alia adiumenta vitae, praesidia rei militaris, ornamenta ingeniorum industriae atque artium negligenda sint. Quae quum ita se habeant, nemo tamen recte negabit, melius esse, quoad fieri potest, religionis norma quam iurisconsultorum regulis vivere: est enim religio, Dei opus; leges autem, hominum compositio. Tum in bona rep., ut ait Isocrates, non tam porticus implendae sunt legibus, quam studium iustitiae civium animis inserendum: immo legum multitudo et sedulitas corruptae, ut Tacitus censet, reip. indicium fit: et certe in legibus non tam copia vel novitas, quam explorata utilitas, spectanda est. Denique, ut ait Diodorus sículus, qui pietatem erga Deum non retinent, ii multo minus officia inter homines servare solent. Etenim male instituti mortales legem quamlibet, propositis etiam maximis poenis, ne-

gligere audent. Ergo optime facit christiana institutio, quae regendis animi motibus, corpora hominum a peccando continet: neque patitur conscientiam laedi, ne consequentes ex illa actus frustra rectos esse velit. Atque his prudentissimis meditationibus impulsus Iohannes rex impense semper optavit, populum suum religionis christianae praeceptis ad probitatem iustitiamque formari.

Sed iam aliquando devotionem quoque Iohannis VI. erga apostolicam sedem tuam, LEO PONTIFEX MAXIME, consideremus; quam priusquam commemoro, romanorum Pontificum erga lusitanum regnum insigniora aliquot merita recitare operae pretium est. Namque Alexander III. Alphonso Lusitaniae duci regium titulum primus detulit seu confirmavit. Innocentius III. lusitanum regnum optime ac prope singulariter de ecclesia meritum pronunciavit, et in apostolicam tutelam, divi Petri nomine, se recipere testatus est. Nicolaus IV. academiae olisiponensis institutionem ratam habuit et privilegiis ornavit. Nicolaus V. lusitano stemmati complures regiones in Africa occupatas atque ad christiana sacra traductas pontificali favore addixit. Alexander VI. lineam illam

const.
102.

const.
85.

const.
7.

const.
8.

const.
1.

famosam medio orbe duxit: in quo facto quis apostolicae sedis abstinentiam summam non admiretur? quae dum tantam orbis terrarum partem inter hispanos lusitanosque reges divideret, nullum sibi ex tot opibus segmentum reservavit.

const.
254.

bellar.
tom. III.
append.
n. 1.

Clemens XI., ob preces Iohannis V. regis, patriarchatus occidentalis dignitatem in regii palatii templo fundavit. Denique Benedictus XIV, ut tot lusitani regni erga apostolicam sedem gratum se meritis demonstraret, Iohanni V. eiusque successoribus cunctis FIDELISSIMI titulum paterno amore impertitus est.

Hac perpetua pontificalium serie gratiarum, et sua quoque animi devotione percitus Iohannes VI. dici vix potest quanto amore erga Petri sedem, eiusque praesidem Pontificem maximum, Christi Dei vicarium, adficeretur. Sed pauca studiosissimi animi indicia praelibare satis est. Versabatur in Brasiliae extremis littoribus prope extorris rex; curis gravissimis tum praesentis incompositi adhuc imperii, tum Lusitaniae ab hostibus laceratae distrahebatur. (Nam regi publica calamitas magis etiam molesta est quam suum cuique infortunium: etenim privatus homo intra fines damni proprii moeret; veruntamen ad re-

gem dolor quoque eius, qui secum dolere cogitur, pertinet.) Ipse tamen tot regiarum sollicitudinum compunctus aculeis, de communi Christianorum parente Pontifice maximo, qui captivus attinebatur, apprime cogitabat. Nam et quotidie sacras preces in regio sacello fieri curabat pro Petri successore; tum vero mentem intendens ad potentissimum Angliae regem, qui unus prope modum illo tempore a communi calamitate immunis erat, litteras admirabiles dedit, quibus ab eo ut non solum in libertatem, verum etiam ut in pristinam dominationem romanus Pontifex vindicaretur, enixe postulabat. Extat harum litterarum in romanis tabulariis exemplar ad regiae pietatis memoriam sempiternam. Cum denique orbis fortunae in europaea republica conversus est, cumque Pius VII. omnium gentium humeris, ut ita dicam, ad vaticanam sedem relatus fuit; ilico Rex fidelissimus actiones gratiarum publicas templis indixit, quibus ipse persolvendis cum regali domo interfuit: tum etiam reduci Pontifici, missis Romam nobilissimis legatis, semel atque iterum gratulatus est.

Regis insuper erga apostolicam sedem reverentia et amor tunc maxime claruit, cum e Bra-

silia reversus, multasque offendens in regno suo novitates, non parum de iure proprio, pacis causa, sponte detraxit: et tamen aperte ac publice testatus est, nihil se omnino, quod posset velletque, ex iis imminuere quae ad supremam Petri cathedram sacro et pristino iure pertinerent. Quae dum ageret Iohannes rex, dignum se fidelissimi regis titulo, dignum maioribus suis demonstrabat a quorum institutis et auctoritate nusquam discedebat. Cunctis etenim Lusitaniae regibus nihil catholica religione carius umquam fuit, nihil obsequio erga matrem ecclesiarum romanam sedem constantius. Mos etiam regum complurium fuit, ut primitias veluti ac selectas manubias advectarum ex India opum, ad Petri apostoli limina religiose missitarent. Quis nescit celebrem Emmanuelis fortunati ad Leonem X. legationem, apparatu regali miram, magnificis donis spectatissimam? Quis classium ad romanos Pontifices adversus Turcas e Lusitania submissarum non meminit? Neque vero quisquam lusitanos reges imprudentius reprehendat, quod tantas opes exstruendis templis xenodochiis atque coenobiis, alendis clericis, mittendis ad barbaros evangelii praeconibus, aliisque plurimis sup-


peditandis religioni subsidiis, insumpserint. Non enim ex aliqua inscitia aut superstitione, ut aiunt cirrati philosophi, ita se gesserunt, sed quia meliorum doctrinarum gnari erant, quantaque fama religiosam pietatem comitari soleat, et quanta apud homines commendatio, quantus denique spei bonae aeternaeque cumulus ex propitiato per pias liberalitates Numine accedat.

Sed quoniam satis iam verborum fluxisse videtur, modusque orationi statuendus est; Iohannem regem sua erga nos propriumque regnum cumulavisse merita dicam, tali successore relicto, qui magnitudinem virtutum suarum amplitudini imperii iam exaequavit. Is est PETRUS I. Brasiliorum potentissimus imperator, et MARIAE II. Lusitanorum reginae genitor, Brigantinae familiae caput augustum et summum decus. Illic est ille admirandus luvenis, cuius consilio, sapientia, legibus, omnes imperii amplissimi partes sunt ordinatae; quo fundatore, quo auspice, caesarei nominis splendor transmarinis gentibus lucet. Atque is quidem statim ac summae potestatis habenas corripuit, missa Romam honorabili legatione, primo quidem fidelissimum obsequium suum Tibi, Christi vicarie LEO PONTIFEX MAXIME, testatus

est; deinde ab hoc apostolicae cathedrae oraculo verae doctrinae semina postulavit; evangelii nimirum praecones Roma accersivit, qui et barbaros divina luce collustrent, et christianos etiam veteres moribus dogmate suo dignis informet. Idem petiit episcopaliū novarum sedium institutionem, ne pastoribus oves careant, et ne indigenae cleri copia in vastis illis regionibus desideretur.

Gaudeat igitur IOHANNIS regis sanctissima anima, quae nunc ex alto beatorum caelestium coetu tam praeclarum tamque sui similem heredem in hac terra despectat. Profecto Regis optimi quae stricta oratione recensuimus merita vix dubitare nos sinunt quin is iam, ut dixi, feliciū animarum sedem obtineat. Sed tamen quia Dei sunt ignota iudicia, fierique potest ut aliqua humanae conditionis forte labecula, virtutum adhuc regiarum praemia retardet; idcirco nos piacularibus precibus ac sacrificiis manes eius prosequi salubre iustumque est.





Nihil obstat

Fr. Carolus Thil august.
censor theologus.

Ioseph Ant. Guattani
censor philologus.

Imprimatur

Ioseph Della-porta Patriarcha Cpol.
Vicesgerens.

Fr. Ioseph M. Velzi O. P.
S. P. A. Magister.

P. 25. v. 23. Pirinacis corr. Pyrenacis.

